



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **IMPHALENSIS\*** IN INDIAE FINIBUS  
CONSTITUITUR NOVA PROVINCIA

**ECCLESIASTICA IMPHALENSIS, CUIUS METROPOLITANA** Cum Ecclesia catholica in Indiae finibus, hisce postremis temporibus Episcoporum, sacerdotum, religiosorum virorum et mulierum necnon Christifidelium consociata opera, passim laeta cepisset incrementa, quo aptius iisdem - cunctis perhiberetur meritum laudis testimonium eorumque simul animi confirmerentur ad magis in dies sedula navitate ad laborandum in spirituale bonum commune, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa auditisque quorum interest votis, censuit ut in eadem Natione novae Provinciae ecclesiasticae constituerentur. Nos vero pro summo Apostolico, quo fungimur, munere de superna totius Dominici gregis salute solliciti, talem sententiam ratam habemus ac sequentia decernimus. A metropolitana Ecclesia Shillongensi distrahimus dioeceses Imphalensem et Kohimaënsensem atque ex his efficimus novam Provinciam ecclesiasticam *Imphalensem*, cuius Sedes princeps erit Ecclesia Imphalensis, quam ad gradum et dignitatem archidioecesis metropolitanae evehimus, omnibus tributis iuribus et officiis huiusmodi Sedium propriis, assignantes eidem alteram, quam diximus, dioecesim uti suffraganeam. Insuper Venerabilem Fratrem Iosephum Mittathany, hactenus Episcopum Imphalensem, Archiepiscopum Metropolitam Imphalensem renuntiamus, cunctis factis iuribus impositisque pariter obligationibus. Quae praescripsimus committimus perficienda Venerabili Fratri Georgio Zur, Archiepiscopo titulo Sestensi atque in India Apostolico Pronuntio, onere imposito mittendi sincerum exemplar actus effectae executionis ad memoratam Congregationem. Hanc denique Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO	IOSEPHUS card. TOMKO
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Marcellus Rossetti, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 12, pp. 1082-1083 © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana

---

© Copyright - Libreria Editrice Vaticana